SIMONIS PISTORII
OPPOLIENSIS SILESII,
Octernio Quartus.

NOBILI ET GENEROSO ADOLESCENTI D. SAMUELI PRZYPKOWIO, Generosi D. NICOLAII PRZYPKOWII a Przypkowice, FILIO, donatus.

Ad Lectorem.

En iterum, vultuq; favens, animoq; , benigne,
Accipe, Lector, & hæc; quæ tibi sacra damus.
Illa videbuntur Vero fors absona, vel quòd
Hæreticâ, ut dicunt, sint ea scripta manu.
At, si quod Cor habes, nec suspicione, nec umbrâ
Territus hac, animo liberiore leges.
Excors Hæretici nomen pallescit ad ipsũ,
Cuncta probat sapiens, ac meliora tenet.

Excudebat
HENRICUS Junior PALUDIUS Sil.
RACOVIÆ ANNO
1611.



NOBILISSIMO IUVENI, DOMINO SAMUELI Pzypkowio S.

Cùm nonnullis condiſcipulis tuis, Generoſe Samuel Przypkowi, Epigrammata mea conſecrârim; nolui etiam Te præterire Adoleſcentem ſuaviſſimum; quem non tantùm ſingularis morum elegantia, ac in primis rariſſima hujus ordinis, atque ætatis modeſtia: verùm quoq; profectus, quem jam feciſti in hnmanioribus literis, ita commendatum & perſpicuum reddidere; ut his non modo æquare commilitones, & coęquales tuos, ſed etiam antecellere eis videâre. Dignus eras carmine excoctiore, & ampliore libri dedicatione. Atqui & materia ipſa ſacra, quæ hîc tractatur, talis eſt, ut vix admittat puram illam venuſtatem ac lenitatem, quæ Epigrãmatis eſt quaſi propria: & inſtitutus Octernionum ordo nõ patitur majus Opuſculũ. Tua benigna lectio inſuavitatem iſtam (ut ita dicam) conciliet, & inpoſterum plura a me expectet. Vale juvenis ornatiſſime.

Pietati Chriſtianæ, ac ſtudiis tuis ſedulò invigila: Meque, ut ſoles, amare perge. Czarkoviæ.

ANNO 1611.

SIMON Piſtorius.

Caussæ luctæ & metus Christi. Luc: 22.

Esse quid hoc dicam! sic multáne, Christe, precanti
Defluit ex membris plurima gutta tuis?
Sicńe Ales Patris te consolatur euntem,
Ad tua tàm rigidæ funera dira Crucis?
Sic est: hos voluit te Iova subire timores,
Hoc voluit Gnatum te cruciare modo.
Quàm grave sit servire Deo, quò discere posses,
Dux hujus duræ primus ad Astra viæ.
Hautque mali ignarus, miseris succurrere nosses,
Rex Populi supera factus in Arce Dei.
Mira Dei bonitas! Christi dilectio mira!
Quæ voluit nostram sic stabilire fidem.
Ergò pro Christo fatum subiture supremum,
Ne metue; faciet quod patiêre leve.

CHRISTUS ut posset mori, vires quas habuit divinas, non exeruit, sciens hoc pacto eundum sibi esse ad Regnum suum ex Decreto ipsius Dei. Ioh 18. & 19. Huc adde Phil. 2. 2. 2 Cor. 8.

Ad verbum Christi duntaxat, Miles & ipse
Iudas, in facies procubuêre suas.
Quid non fecissent, si Christus fortè fuisset,
Illa, quâ fuerat præditus, usus ope!
Quàm validus, sensit Satanas, quàm Pontus, & Aër,
Et sensit Mortis sæpè adamantina vis.

At quia sic fuit in fatis, seseque parabat
Infandæ, haut rerum nescius ipse, Neci;
It contra audendo, vinclis patiturque ligari,
Ac impuratis membra trahi manibus.
Ille Dei qui formam habuit (mirabile) nuper,
Mancipii formam ceû modò vilis habet!
Vinctus ad infestos subitò ceu ducitur Hostes,
Multum sarcasmis scinditur, atque diu!
Donec & insultus, gravia & post tormina multa,
Morte heu! immani tollitur e medio.
Sic visum est Iovæ, sic ad sua, quæ modò gestat,
Debuit, haut aliâ, sceptra venire, viâ.
Nec via Cæli alia est; sequere i, quâ Dux præit ipse,
Quisquis es e sancto Christiadum numero.

CHRISTI sanguinem nos a peccatis mundare, quare dictum sit. 1 Ioh 1.

Sanguine dicantur cur Christi, aut morte cruentâ
Nostra expurgari crimina, fortè rogas?
In promtu Caussa est duplex; licet obvia non sit
Vtraque nunc multis, utraque vera tamen.
Altera quòd Christo, quæ parta in Cuncta potestas,
Fuso, & non aliter, sanguine, parta fuit.
Vnde potest pœnas, quas Crimina nostra merentur,
Sive has præsentes tollere, sive juges.
Altera, quod fidei nobis occasio, Christi
Sanguine, & obsequii, caussa sat ampla data est.
Obsignata etenim spes Cæli, funere Christi,
Et Vitâ, funus quæ comitata fuit,
Vim faciunt animis, coguntque per omnia Christo
Parendi; unde Dei manat amanda Salus.

Fallitur, hunc sanguen, seu tristia funera Christi,
Qui purgare aliter Crimina nostra putat!

Sanguis CHRISTI, meliora loquitur, quàm Abelis. Heb. 12.

Indignè Iusti sanguis profusus Abelis,
Vindictam a summo flagitat ille Deo.
Injustè Christi sanguis profusus Iesu,
A summo veniam flagitat iste Deo.
Par facto, duplex facinus (res mira relatu)
Et benè quadrat idem, nec benè quadrat idem.
Caussa, quòd ille cruor profusus Abelis, Iova
Nolente, & nullo fine profusus erat.
Fine sacer certo sed Christi sanguis, eodem
Profusus Iovâ sic statuente fuit.
Hoc ut nimirum constaret sanguine fuso,
Propitium nobis omnibus esse Deum.
Hinc dictus meliora loqui, quàm sanguis Abelis,
Dicitur, hincque novi Fœderis esse cruor;
Quo scelerum nobis venia est, & Vita perennis
Promissa, a summo nos adamante Deo.
Sancte cruor, loquere ô! etiam nunc, atque moneto
Iovam, polliciti sit memor ille sui.

Mors CHRISTI, signum amoris Dei erga nos. Ioh. 3. Rom. 5.

Solo proposito, solo commotus amore,
Ad fata Unigenam si dedit ipse Deus.
In nos divini magnum testamen amoris,
Mors est Unigenæ si truculenta Dei.

Quî meritum ullius, quive intercessio, dirum
Caussa vel istius funus amoris erit?

Afflictiones Christianorum sunt inditia amoris, & dona Dei. Phil. 1. Heb. 12. 1 Pet 2.

Quos vitâ videt innocuos, &, Iova, probatos,
Queîs habet & nusquam carius ille nihil.
Si lubet, & mens est dignas sibi promere laudes,
Hos vult pro Christi nomine acerba pati:
Probra, odium, paupertatem, mala plurima, durum
Exsilium, & mortis denique triste genus.
Hæc caris animis imponit stigmata, Iova,
Segregat a reliquis hac ratione suos.
Qualiter œconomus, macro discernere carum
Vt queat, apponit signa suo Pecori.
Nimirum non sunt odientis signa IEHOVÆ,
Plurima pro CHRISTI numine dira pati!
Nec cunctis fas est in eam descendere arenam,
Sed quos tale decus sumere IOVA jubet.
Intereà ad pugnam quivis hanc esse paratus
Debet, qui CHRISTO militat, atque Deo.

Caussa cur CHRISTUS paucos fideles habeat.

Tot sanctæ manant sacro sententiæ ab ore
Verba quot, aut plures, maxime Christe, tibi.
Hæc tu prudenti pandis Mysteria voce,
Quæ nemo in Terris hauserat aure priùs.
Tamta, potens patras, & tot Miracula, quamta
Anteà nemo, & quæ non numerare licet.
Hæc, quamquam ac tot habes veri argumenta, tuiq;
Muneris, heu! tamen est quàm tibi rara fides!

Vllam non aliam caussam reor esse, tuæ quàm
Doctrinæ quòd sint ardua Iura nimis.
Tu mandas vitiis valedicere pectore toto,
Virtutem omnigenam tu colere usque jubes.
Nec tantùm a Vitiis aßeclas Doctor abarces,
Quæ Lex, Philosophus damnat & ipse bonus;
Verùm & ab his, quæ pro licitis habuêre, vel ipsi
Quotquot in Orbe graves antè fuêre Viri.
Nulla tibi ambitio, non rerum amor ipsus habendi,
Vlla Voluptatis nec placet illecebra.
Ille placet, quamquam qui par tibi in omnibus haut sit,
Te tamen insequitur proximiore gradu.
Qui sceleris purus, cunctis Virtutibus auctus,
Ad res adversas se parat, adque Cruces.
Qui missis rebus fluxis, &, in Orbe, caducis,
Ac spreto, est aliis quicquid ubique volup;
Aspirat tantùm Astra, nec est mortale quod optat,
Quæque Deum spectant Nectaris instar habet.
Quæ quia non sapiunt; qui spirant terrea, quosque
Nequitia insignis non sinit esse probos.
Hinc tu, sis quamvis Verax, documentaque tamta
Christe, habeas, tamen est quòd Tibi rara fides!

Fides Christiana justificans quid sit?

Vera Fides quid sit certatur; & illa quibusdam
Aßensus verbo dicitur esse Dei.
Verùm sufficiens hæc definitio non est;
Vtpotè pænè animâ quòd caret illa suâ.
Esse Deum credit Satanas, & credit Iesum,
Verbo aßentitur nec minus ille Dei.

Quis tamen esse Fidem putet hanc verã, atq; salubrem,
Parte illâ careat cùm potiore sui?
Vera Fides aliud nil quàm Fiducia firma est,
Fundata in Christi fixaque Pollicitis.
Quæ quia sunt, dono Iovæ, Mortalibus ægris,
Ista per Christum conditione data;
Omnibus ut Vitiis valedicto, semper haberent
Præscriptâ a Christo nil Pietate priùs.
Hinc ut vera Fides eadem sit, & integra, debet
Ista operum Christi fertilis esse Fides.
Si potes ardenti sejungere ab igne calorem,
A Persona umbram si removere potes;
Tunc benefacta etiam poteris sejungere, fructus
A vera poteris & removere Fide.
Sicut homo, non est homo jam, sed turpe cadaver,
Parte sui quando nobiliore caret;
Sic quoque viva Fides jam non est ampliùs, immò
Nomen habet sine re, fructibus orba suis.
Scilicet a veri sensu vehementer aberrant,
Hanc quicunque Fidem justificare putant!

De imputativa, quam vocant, justitiâ; utrum ea, an quid aliud Hominem coram Deo justificet.

P*lena errorum ut sunt! non omnes convenit inter*
Ante Deum justus cur habeatur Homo.
Sunt quidam, propriæ vacuos Virtutis & æqui,
Inflatos Virtus quos aliena facit.
Iustitiam, alme, tuam reputari, Christe, putantes
Credenti; ante Deum propriæ & esse loco,

Qui

Qui sua converso nimis ordine, Crimina, mirâ
Transferre in Teipsum transitione volunt.
Virtutesque tuas sacrosanctas rursus, eâdem
Transferri in sese transitione putant.
Nempè recepta recens est talis opinio vulgò;
Expers humanum viribus esse genus
Legis ad obsequium, Præceptorumque Iehovæ,
Quod facit exitii perpetis esse reum;
Hincque Deum nostræ miseratum sortis, ad ista,
Misisse Vnigenam, terrea Regna, suum;
Subditus ille Deo, vice nostri, ad Legis amussim,
Vt nos a tamto solveret ille malo.
Hunc igitur justum fieri, qui talia credat,
Hancque fidem acceptos nos facere ante Deum.
O Gens Christiadum Virtutis ad inclita facta
Dura! ac ad vitium credula turba nimis.
Quàm paucos videas, ardens quos cura fatiget
Vivendi ad normam, maxime Christe, tuam!
Quos promissorum spes firma, tenaxque Tuorum,
Obsequio Verbi mancipet usque tui!
Legis amor quos raptet, & una sit ista voluptas
Sectandi summi sancta Statuta Dei!
His verò tantùm non imputat, omnia verùm
Crimina ab infirma Carne profecta tegit;
Horum & justitiam non perfectam, æquus Iova,
Justitiæ solidæ repputat esse loco.
Iustitiæ fidens alienæ, cassus & idem
Virtutis propriæ, stultus inersque Vir est.

Rursum

Rursum qui Christo confidit & ardua Christi
Jußa facit, prudens & catus ille Vir est.
Namque is pro justo reputatur, munere Iovæ,
Hic justus dici cur mereatur habet.

De Hominis arbitrio, quale sit in salutis negotio.

Serva Hominum sit nunc, an libera licta facultas,
Credendi Verbo, nec ne, Iehova, tuo;
Mortales orta est inter contentio grandis,
Dùm negat hoc alter mordicùs, alter ait.
Pars habeat tamen utra magis fundamina vera,
Nunc inquirendum, lector, amande, venit:
Qui statuunt servum Arbitrium, solius Adami
Id primo ex lapsu, non aliunde, probant;
Namque putant Ipsum, a Iova, pro talibus ausis,
Orbatum pœnæ viribus eße loco.
Ut jam divinis in rebus stipitis instar
Sese habeat, nisi sit Numinis actus ope.
Ast Homini integrum qui velle & poße relinquunt
Ponderis, & solidæ plus rationis habent.
Namque negant primùm, pœnam hanc lapsum eße secu-
Nil hîc Scripturâ tale docente sacrâ. (tam,
Inspice Mosis Opus, quod pœnas continet istas,
Hujus ibi pœnæ mentio nulla subest.
Deinde probant, hunc puniri hac ratione reatum
Salvâ justitiâ non potuiße Dei.
Fidere Iova sibi poscit; jubet optima facta
Sectari, ac idem turpia facta vetat.
Præmia morigeris promittit multa, minatur
Idem immorigeris peßima quæque Viris.

Qui plectit sontes; vires quibus ad sua ademit
Iußa, Orbis judex æquus an eße potest?
Hinc qui non cernit, Iovæ ad Mandata relictam
Eße facultatem, lumine mentis eget.

Caussæ Filiationis CHRISTI.

Théologos inter de Iesu maxima lis est,
Quomodò sit summi Filius ille Dei.
Pars putat hoc ideò fieri; quia scilicet ævi
Nescius, ex Patris mente sit ipse satus.
Pars alias contrà caussas aßignat, easque
Ante oculos cuîvis ponere, nulla mora est.
Hoc ideò primùm fieri; quia Virgine solâ
Extiterit, solo rem moderante Deo.
Posteà, quòd donis, & adhuc mortalis, adauctus,
Pænè fuit summo par, similisque Deo.
Denique, quòd terrâ, tumuloque & carne relictis,
Nunc immortalis vivat in Axe Poli.
Vivat, & in Cæli quòd Maiestate locatus
Sit factus Populi Rexque Deusque sui.
Hæc a Theologis caußæ panduntur utrinque,
Quî fiat Iesus, Filius ille Dei.
Iudicet hæc prudens Lector, pars vera sit utra,
Victori victas postmodò detque manus.

Messias DOMINUS Davidis. Matt: 22.

Quæstio de Christo est; & Filius ille Davidis,
Et pariter Dominus quo queat esse modo.
Naturæ verò geminæ discrimine Christi,
Hunc alii nodum dißolüiße volunt.

Officii Chriſti ſed majeſtate potentis
Rurſum aliis nodus ſolvitur iſte ſacer.
Diſpiciat verum Lector; ſententia nobis
Attamen, ut fatear, non placet illa prior.
Cauſa eſt, in Chriſto nulla ratione quòd iſta
Vnio naturæ duplicis eſſe queat.
Mens hoc ſana negat, negat hoc ſcriptura; quis ergò
Hoc ratione iſtâ ſe ſoluiſſe putet?
Poſterior verax, & ſanctior eſſe videtur,
Vtpotè quæ ſanæ plus rationis habet.
Nam quis magnifici reſpectu Muneris idem
Qui ſoboles, Dominus quit Patris eſſe ſui.
Scilicet hâc quomdam Dominus ratione Ioſephus
Patris erat, cujus Filius ille fuit,
Hâc quoque nimirum Chriſtus ratione Davidis
Eſt Dominus, quamvis Filius ejus erat.
Quis Chriſtum neſcit jus vitæ ac mortis habere,
Hæc ſibi munifico Munera dante Deo?
Quis revocaturum pia Corpora, functa ſepulchris,
Ducturum & ſummo neſcit ad Aſtra die?
Olim de buſtis animam adciet ille Davidis
Et ſecum ad Cæli regna beata vehet.
Ille etenim ſuperâ nunc Majeſtate locatus,
Mutua Cæleſti cum Patre Regna tenet.
Ille ut vivorum Iudex, ac omnium ut eſſet
Fato functorum, funera dira ſubIt.
Ergò quid mirum eſt, ſi noſter, ſique Davidis
Sit Dominus, cujus Filius ille fuit!
Nec potes hunc aliter meliùs diſſolvere nodum,
Ceu Dominus Patri Filius eſſe queat.

Absurditas duarum naturarum in CHRISTO.

Naturam Dominus gessit si Christus utramque;
Personamque Dei, puram Hominisque φύσιν.
Atque huic Personæ Natura adjuncta (quod ajunt)
Expers Personæ si fuit illa suæ:
Qui Christus potuitque pati, potuitque moriri?
Talia Personæ, cùm propria esse liquet.
Quod si Persona hæc passa est, & mortua Christi;
Tunc tibi dicetur mortuus ipse Deus.

Ænigma.

Naturam Humanam qui verè gestat, in illa est
Nec persona tamen, dic mihi, qualis Homo est?

PATER judicat neminem, sed omne judicium dedit FILIO. Et Potestatem dedit ei etiam judicium facere; quia FILIUS Hominis est. Ioh: 5.

Pone metum, Christi Gens, quæ nunc hostibus ipsis
Es numero inferior, non Pietate tamen.
Hoc vult ex ævi te Iova volumine quondam
Tollere, & in Regni sede locare sui.
Ecce Ducem Christum! tibi quem præfecit, ad istas
Solus inaccessas, quas habitabat, Opes.
Nunc cum Patre suo sedet immortalis ut ille!
Et Rex omnipotens aurea sceptra tenet!
Ut quia par reliquis fuerit Mortalibus ægris,
Judicium omne illi tradidit ipse Pater!
Qui pressus fuit hîc humanæ sortis adinstar,
In Cœlo, hâc functus, digna brabeia gerit.

Qui fuit ærumnis, & funere mersus acerbo,
In Cælo, & Terra, sub pede cuncta premit.
Alituum sanctisque præest, atrisque catervis,
Et cunctis hominum Gentibus ille præest.
Indomitæ Morti, simul & dominatur Averno,
Inquæ juris habent Cætera cuncta nihil.
Immortale Bonum, divinam possidet Auram
Donorum & quicquid magnus Olympus habet.
Aspectabile nil, & inaspectabile nil est,
Quod fugiat vires, maximeChriste tuas.
Omnia, se præter, tibi Christe, adjecit, Iova;
Atque ita ab arbitrio stant modò cuncta tuo.
Tu quemcunque voles, nullo impediente, nec ipso
Patre, dare exitio, supplicioque potes.
Tu cujcunque voles seu vivo, sive sepulto,
Tradere in æternum Regna beata potes.
A seclis retrò num tale quid omnibus umquam
Auditum; aut factum est a sapiente Deo?
Quo potuit meliùs facto, & sapientiùs ille
A peccatorum nos revocare lue?
Quo nobis opere ingenerare potentiùs ipsam
Spem potuit Cæli, & certificare fidem?
Qui mortalis erat naturâ, & mortuus olim,
Nunc Patri æqualis vivit in Axe suo.
Vivit, & est ipsi quamquam tàm lata Potestas,
Haut pudet hunc Fratrum nos adamare loco.
Parce metu, Christi Gens, quæ nunc hostibus ipsis
Es numero inferior, non Pietate tamen.
Hoc vult, per Christum, te Iova volumine tamdem
Tollere, & in Regni parte locare sui!

Non honorans FILIUM, non honorat PATREM Ioh: 5.

Tempus erat, quando sine Christo fidere Iovæ
Mos erat, & Iovæ res ea grata fuit.
At nunc fas non est, sine Christo fidere Iovæ,
Et non est Iovæ res ea grata magis.
Iova Potestatem donavit in Omnia Christo,
Consortem Imperii constituitque sui.
Vt quicunque velit Iovæ jam fidere, Christo
Fidat, & hunc, Cultûs ejus honore colat.
Non colitur jam Iova aliter, Vitamque perennem
Non aliter quisquam participare potest!

De sacra CHRISTI Cæna.

TAmquam de prora, veræ puppiq́; salutis,
Nunc est de Christi Corpore pugna gravis.
In Cœna verum pars Christi existere Corpus
Aßerit una; sed hoc altera pars negitat.
Pars transmutari panem; pars pane latere
Corpus ait; verùm pars id utrumque negat.
Vna frui Christo pars Corporis ore; sed illo
Altera pars fidei, mentis & ore docet.
Tàm fœdis quamquam scateant erroribus, atq́;
Christiadum Populo sint ea digna parum;
Nunc obtruduntur porrò credenda cuivis,
Et nemo, fidens, hæc nisi credat, erit.
Quid facitis miseri! non isto tradita fine
Hæc quondam a Christo Cœna sacrata fuit.
Vt verum ipsius quærant hic Corpus, & illud
Mortales comedant ore, fideve tenus.
Verùm ut tàm grándis celebratio Publica facti,
Quod geßit nostri Christus amore, foret;
Nempè quòd ad nobis generandam spemq́; fidemq́;,
Sustinuitq́; pati, sustinuitq́; mori.

Quo caret humano jam Christus Corpore, postquam
Est immortalis factus in Arce Poli?
Qualiter hoc præsens in Cœna existere posśit,
Aut sumi a nobis quâ ratione queat?
Nec verò erroris sint ulli occasio, Christi
Verba, quòd HOC CORPUS *dixerit eśse* SUUM.
Namq; illa a Christo de Solo haut dicta fuère
Pane, & quòd nequeant dicier, est ratio;
Mitto quòd, Hoc Panis, nulla est structura, loquendi;
Absurda & pariat multa quòd iste modus.
Ecce typum, Paschæ Agniculum! quis nam putet illum,
Aut solum, aut propriè PHASE *fuiśse* DEI?
Namq; Deus, non Agnus erat, qui nocte rubentes
Graśsando fertur præteriiśse domos.
PHASE, *tamen dixère,* DEI, *seu* TRANSITUS HOC EST,
Nempè id si totum respiciatur Opus.
Publica præterito pro Munere, namq; Iehovæ
Hoc facto, Grates reddere, moris erat.
Haut secus a Christo tunc Verba brevisśima, toto
De Cœnæ Ritu dicta fuère sacræ:
Fractio panis, & ore comestio; fusio in ipsos
Crateras, fusi sumptioq; illa meri;
Sunt Corpus Christi; sunt Fœderis illc recentis;
Effusus propter Crimina nostra Cruor.
Namq; repræsentant hæc singula & omnia, Christi
Ceu tractanda fuit, & laceranda Caro;
Purus ut effundi de sacro pectore sanguis
Debuit, & tamtùm non redigi in nihilum;
Ad confirmandum magnæ Promiśsa salutis,
Cujus Spes nobis Fœdere clauśsa Novo est.
Ergo hujus Christi celebratio Publica facti
Vt fieret, quondam hæc tradita Cœna fuit.
Non ut quæratur, quod erat mortale nec usquam est
Amplius, humanus sitq; subinde cibus.

